


Hc. 63. o.



Antonij Tilefij
COSENTINI DE
Coloribus libellus,

cum

Melchioris Tilefij
Silesij Versificio.



UITEBERGAE
Excudebat *Matthæus Welack.*

Anno M.D.LXXXV III.

ANTONIUS
COSMANTINUS
Colonus hollus
M. S. 1611
C. 17. 17. 17. 17. 17.
C. 17. 17. 17. 17. 17.
C. 17. 17. 17. 17. 17.



DOCTISSIMIS
VIRIS, PVERITIAM
Scholasticam in illustri Ludo
Bregensi erudientibus, Synergis
suis lectissimis.

S. D.



*Isa mihi haud pridem sunt
Pauli Iouij Nouocomensis
Episcopi Nucerini elogia,
virorum literis illustrium
immortali memoriae consecrata, eaq; in-
dustria & opera Petri Pernae typogra-
phi, sumtibus verò communibus cum
Heinrico Petri, Basileae anno 77. ex-
cusa. His pellustrandis cum oculos et
animum suauiter admodum pascerem,
incidi fortè in praeclaram ANTO-
NII TILESII Cosentini menti-
onem, cuius cognomine, quod est meae
familiae proprium, apprime letatus, de-
num lectione duum ipsius libellorum*

A 2

adedò

adeò delectatus sum, ut eorum copiam
eruditioris doctrinae cupidus exoptare,
ac proinde alterum ex his, quem de co-
loribus scripsit, praelo commissum di-
vulgare non dubitârim. Placuit eum
Vobis nuncupare, Viri doctissimi, colle-
gæ lectissimi, tum quòd eum vestri no-
minis pudere non posset, tum quòd ar-
gumentum contineret Scholasticum à
communi nostrum professione litera-
ria non alienum. Accipite igitur be-
neuolè paucas hasce paginas, de quibus
nihil minus possitis dicere, quàm eas
scienti non prodesse, ignoranti non obesse.
Cuius sanè rei vosmet ipsos testes fa-
cio, quorum lectione & iudicio hoc qua-
le quale est scriptum, censeo non esse
prorsus indignum.

V.

Melchior Tilesius
Collega.

DE

DE ANTONIO 3

TILESIO HAEC SCRIBIT

Paulus ille Iovius.

Hic varia tenuiq; materia,
& minuto semper lem-
mate delectatus, non i-
gnobilis Poëtae nomen tulit,
cum in paruis singularis et planè
conspicius esse mallet, quàm in
grandi caractere, veluti vnus de
populo in turba tot Vatum tri-
ta, & centies repetita canentium,
mediocris & obscurus. Descripsit
enim lepidè & diligenter non-
nulla curta poemata, inexpectati
ac ideo festivi semper argumen-
ti, et in his Zonarium reticulum,
quo sacerdotum serica crumena
suspenditur: fictilemque lucer-
nam: tantum sibi olei, dum Mu-

A 3

fas

• *fas coleret, exorbentem : & lu-
centem noctu volucrem cicinde-
lam, puerorum lusibus oppor-
tunam. Reliquit & Tragœdi-
am, in qua Danaem sub aurei
imbris nomine cum multo sen-
tentiæ verborumq; splendo-
re expressisse iudicatur : ac item
libellos de coronis atq; coloribus
grammaticos, rei nouitate gra-
tissimos. At Romæ in gymnasio
Horatium comiter & tenerè pro-
fessus, sacerdotium à Giberto
promeruit, effugitque cladem
urbis, vt in patria non plane Se-
nex interiret.*

Anto

Antonij Tilefij Co⁵
sentini de Coloribus li-
bellus.

DICAM aliquid de Coloribus
in hoc libello: non quidem un-
de conficiantur, aut quæ sit e-
orum natura: neq; enim Pi-
ctoribus hæc traduntur, aut
Philosophis, sed tantum Philologis, qui la-
tini sermonis elegantiam studiosè inquir-
runt. Scribam omnia breuiter & accura-
tè: ac rerum ipsarum nomina, quò statim
colores intelligantur, singulis opponam.

COERULEVS CAP. I.

Exordiar primùm à Cæruleo: quo nisi
natura ipsa maximè gauderet, nun-
quam profectò Deorum hoc domicilium,
continuo circum complexu cuncta coer-
cens, specie tam læta uniuersum exhila-
rasset: reliquos deinde contexam. Cæ-
ruleus igitur dictus quasi cæluleus, ut ex
voce ipsa apparet, propriè color est cæli,
A 4 sed

Mare corru-
lolum .

Ceruleico-
loris alia
species.

sed sereni: id quod Ennius respiciens, cæ-
li, inquit, cærulea templa; atq; inde ab omni-
bus mare appellatur cæruleum. Refert e-
nim illud eundem, quem ab ipso supernè
accipit cæli nitorem. Quare ex antiquis
nonnulli, ut alterum Homeri opus, propter
cædes, de quibus illic Poeta loquitur, colo-
re exornabāt sanguineo: sic Odysseam, ubi
Ulyssis idem maritimos scribit errores,
membrana contegebant cærulea. Sed quo-
niam cærulei quaedam species est penè ni-
gra, ut quod Indicum dicitur, eoq; olim
vestitu Græcæ mulieres amictæ produce-
bant eorum funera, quorum in cælum a-
nimas migrasse cæruleum existimabant,
idcirco pro tristi nonnunquam capitur, ut
apud Virgilium, puppis cærulea Charon-
tis. Imberq; & Sol cæruleus. Cucumis au-
tem cæruleus, nam id quoq; legitur: Me-
lopeponem significat, qui inter cucumeres,
multa enim sunt eorum genera, pulcerr-
mus est. Nec tantum cærulei videtur
particeps, sed ipsius quoque mundi gra-
dus, introrsum versus attenuatos, ostendit,
ut hoc olim de eo lusimus:

Quis



Quis neget è cælo missum? formamq₃, coloremq₃,

Atq₃ gradus cæli, Nectaris atq₃ refert.

Est enim sapore suavissimo, Sine ul-
la dubitatione, quod nos cæruleum, Græci
dicunt Cyaneum, in quorum etiam com-
mentarijs Lazurion invenio. Asscribitur
huic generi, qui Venetus olim, nunc vulgo
Blavus nuncupatur, color ex factione
Circensi valdè nobilitatus. Fuerunt autem
colores in circo, præter hunc Venetum, Ro-
seus, Albus & Præsinus: quibus Auratus
postea, purpureus & luteus additi sunt.
De ijs suo loco dicemus.

CAESIVS CAP. II.

CAESIVS verò si dictus esset, ut doctis-
simi Viri monumentis olim tradide-
runt, quasi Cælius à Cælo, eadem foret in
Cælo & Casio diphthongus. Constat autem
esse in ijs vocibus diversam, nihil præterea
differret à Cæruleo, quando id, ut osten-
dimus, a cælo deductum est: differt au-
tem sine dubio vel ex ipsius M. Tullij auto-
ritate, cuius hæc sunt verba in primo de

A 5 natura

Cærulei coloris à cælio differentia.

Cæsus.

Catilina oculis cæsiis.

Facies cælia.

Natura deorum libro, Cælios oculos Minerva, cæruleos esse Neptuni. Adhæc non, quemadmodum legimus Cælum, Mare, Vestem, Florem cæruleum: ita legimus Cælum, Mare, Vestem, Florem cæsum: Sed oculos tantum cælios, veteres dixerunt, quibus inest fulgor quidam visus horrendus. Vnde existimo, sicut Cæsar & cæso dicuntur a cædendo, ita Cæsum à cæde nominatum esse, ut qui Cæsius sit, cædem quodammodo oculis minari videatur: qualis prælio gaudens, & cæde dicitur fuisse Minerva, ex quo illa ab antiquis vocata fuit, ut ego arbitror, Cælia. Significat hoc M. Cicero, ubi de Catilina ait. Notat & designat oculis ad cædem unumquemque nostrum. Hic, qui oculis ad cædem senatores designabat, Cæsius erat. Cuius etiam oculos Salustius insignis historicus fuisse tradidit fædos, id est, cælios. Cuiusmodi memoria proditum est Neronis quoque oculos fuisse, quod ipsum non leue fuit argumentum tyrannicæ crudelitatis: Quin à Terentio Cæsi hominis facies dicitur cadaverosa, hoc est, immanis, & sauitiam
argu.

arguens, qualem Sicarij præ se ferunt & carnifices: quamvis alij parum eruditè cadaverosam pro sublimida exposuerint. Etenim verò Leonis oculos si quis inspexit, qualis sit hic color, intelligit. Micant illi, ut studiosè ipsi prope considerauimus, velut ignis penitus flagrans. Dicitur color hic græcè ab omnibus Glaucus, quod verbum **Glaucus color.** longo iam usu Latini Poete suum fecerunt. Latius tamen patet Glaucus: nam præter oculos Nocturnos, quos, ut auis ipsius græcum nomen declarat, omnes Glaucos esse confirmant, multa quoque dicuntur Glauca, ut *Vlua* palustris herba: ut *Salix*, cuius cum frondes tum multò magis cortex in ramis, præsertim anniculis, nitet hoc colore. Quem laudat Virgilius in equis, eosque noto carmine Glaucos appellat, **In equis quis color probetur.** communi Italarum lingua Baios nominatos. Nam Spadices honesti ab eodem Poeta ibidem vocati, illustriores sunt aliquanto, Baii & ipsi, sed clari, vulgo nuncupati: atque duo aliorum omnium maximè probantur colores in equis. *Vlua* igitur, *Salix*, quas idem Virgilius, *glauca* dixit, equis
item

Charops
color.Hercules
charops,

item species optima, Castanea etiam nucis tunica, aliâq; multa, præter leonis ac noctuae oculos, colorem glaucum ostendunt. Sed ut unde discessi redeam, quando Casius color tantum est oculorum, videndum est, ne is sit potius quem Aristoteles Charopon vocat. Sic enim ab illo dicitur leo ab oculorum sævitia, quem Catullus Poeta doctissimus Casium appellat. Unde Hercules cognomento dictus fuit Charops, quasi iracundè intuens. Nam chara Græcè, ira quoq; dicitur Latine: & ex eodem, ut puto, horrore charybdis nominata est, & Charon: de quo cum inquit Virgilius:

Stant circum lumina flamma.

Casium voluit senem illum horribilem ac dirum significare. Quamvis non nesciam, Charopon ab alijs aliter quoque exponi.

ATER, CAP. III.

Horribilis etiam color est ater dictus, Hominiò velut Anthrax, id est, carbo: nam propriè est carbonis extincti. Quare
scitè

scitè ut omnia, Terentius tam excoctam
 inquit, reddam, atq; atram, quàm est car-
 bo. Et inde à Virgilio cinis dictus est ater,
 et favilla atra. Sanguis præterea caloris at-
 que coloris ignei particeps, effusus ac frige
 factus amisso rubore, tanquam in carbonè
 mutatus, ater ab omnib. vocatur. Dicitur
 & mors atra, quia cadaver extincto calo-
 re illo vitali, quo corpus alitur, atrum res
 linquitur, ut est carbo, quæ mihi per-
 quam elegans videtur similitudo. Quid
 quod dies atrii eadem de causa dicti fue-
 runt? Qui enim luctum afferebant, car-
 bonibus, ut contra dies læti scrupis signa-
 bantur gypseis, ex quo Horatius ait,

Creta, an Carbone notandi.

Differt in hoc à colore nigro: quòd
 ut omnis ater est niger, sic non omnis niger
 est ater: horrendus est hic, tristis, visu iniu-
 cundus, lugentibus accommodatus, ille con-
 tra nonnunquã lepidus ac venustus: ut hu-
 mani oculi sunt complures, quos nemo a-
 tros diceret, sed nigros, ijsq; tamen nihil
 maiori cum voluptate spectamus. Vocaba-
 tur aut Ater ab antiquis etiã Anthracinus;
 idemq;

Mors atra.

Atrii dies.

Liuidus

Fuscus.

Aquilus
color.Anaxago-
ras niuem

idemq; Furnus. Quibus longè minus sunt nigri, Liuidus & Fuscus. Alter ex graui corporis ic̄tu proueniens deformitatem habet, unde inuidi aliorum bonis, velut verberibus laniati, & idcirco exangues, Liuidi nuncupantur. Alter non insuavis, & in homine persæpe laudatur. Qui tamen si modum excedit, ac maximè Fuscus est, & quasi nigrescit, Pressus dicitur: ut quæ aliquandiu sub prelo vestis pressa, nimum coloratur. Legimus etiã equi colorem pressum. Secus verò fasciola Coloriscæ dictæ fuerunt, quæ non saturatæ, sed vix colore aliquo illitæ à coronis dependebant. Est autem forma diminutiua, ut Lycisca, Syrisca. Aquilum veteres hunc fuscum à colore aquæ vocarunt, qui inter nigrum est & album, id quod Plato etiã docet.

ALBUS CAP. IIII.

Est autem albus color purissimus, quocirca ad animum translatus pro synce- ro capitur: is nullibi quàm in niue clarior est, quam tamen atram esse Anaxagoras affir-

affirmabat. Sumitur pro pallido, unde timor albus legitur, & metu exalbuu. Quã obrem Romanae mulieres quondam funera sequebantur in veste alba, tanquam mortui, quem efferebant, colorem referrent.

Elucet candidus, atque oculos delectat. At candens non hoc tantum est, sed pro ignito accipitur. Itaq; Veneris humores rectè dixeris candidos vel candentes. Ferrum, quod à Marito tunditur, non candidum est, sed candens. Eiusdem generis est Canus, qui etsi ad alia transfertur, propriè tamen est capilli & barbae senilis. Nascitur equus nonnũquã canus atq; albine, non idem qui et candidus aut albus, sed huius non expers. Est & color albi nigriq; particeps, à Gracis inde Leucophaeos, voce iam à nostris usurpata, vocatus. Genus est id coloris natui, non enim inficitur, sed ouis ipsa sic natura quasi pingitur. Hunc sibi secta Sacerdotum sumpsit sanctissima, qui nulla tunica linea penitus induti, pro cingula reste se vinciunt nodosa, ac ligneis tantum calceamentis vsi, precario vitum queritant.

atram dixit

Candidus
Candens

Canus

Pullus

Qualis verò sit Pullus, ostendit terre ipsius color: maior enim illius pars pulla est. Itaque quoniam ea mortuis iniicitur, voluerunt veteres, ut qui lugerent, pullis pallis, terra similibus, essent amicti. Dorsum etiam leporinum propriè est pullum: quamobrem natura ipsius doctus magisterio, terram recentem ab aratro metu pauidus querit ille, ibiq; nonnunquam stratus, nullaq; re abditus, venatores, canesq; ipsos praterentes, ac sagaciter propè omnia perquirentes, coloris tantum beneficio sepius latet: & ut in quodam epigrammate de lepore diximus:

Quem fuga non rapit ore canum, non occulit umbra,
Concolor immotum sub Ioue terra tegit.

Nulla arte aut impensa color hic paratur. Natura enim sic provenit, unde Nativus quoq; vocatus est, diuersus ab eo, de quo locuti sumus. Iamq; nos Cosentini, apud

Pullum leporis dorsum.

Nativus.

apud quos multa antiquitatis vestigia ap-
 parent, siquidem & Præfica, ut quondam,
 mortuos laudant, & Pilicernium in usu
 est, ac nemo sine suorum osculo sepelitur,
 utriusq; sexus vestimentum funebre, Na-
 tuum dicimus: quamvis atrum sit illud,
 & in mulieribus matrimonio iunctis Cya-
 neum, quo Græci, ut dictum est, olim in
 funere utebantur. Idem quoq; Hispanus
 vocatus est, & Baticus, etiam Mutinensis.
 In ijs enim locis id genus lana videtur. Est
 autem pullus nomen, ut reor, diminuti-
 num à puro, velut à Rara vestimenti ge-
 nere Ralla, ab opera opella, à terra etiam
 tellus: ut lana pulla sit pura, nullo alio co-
 lore infecta, sed suo tantum & ingenito
 contenta. Colorias huiusmodi vestes per
 se coloratas aliqui dixerunt. Posuit hanc
 vocem Augustus in suo testamento, ubi
 hæc verba legebantur, Gausapes, Lodices
 purpureas & colorias meas. Atq; inde
 ut sentio, dicti sunt pulli equorum, alia-
 rumq; pecudum, quasi pura, nulla adhuc
 libidine aut labore violati. Sunt huic pul-
 lo simillimi color Impluviatus, dictus ve-

Impluviatus

B lat

Suasus

lut fumato stillicidio implutus: & suasus, qui insuasus quoque vocatus, lutum refert. Est autem suasus è stillicidio etiam factus fumoso, in vestimento albo. Quare haud dubitanter non alius est, quam Impluviatus: quamvis aliqui tradiderint, colorem omnem, qui fiat insiciendo, suasum dici, quod illi quodam modo sit persuasum, in alium quemvis colorem ex albo transire.

FERRUGINEVS CAP. VI.

Ferruginet
Hyacinthi

Ferrum, longo situ rubiginosum, facile ostendit, colorem ab ipso appellatum Ferrugineum: agit enim is, id est, refert colorem ferri. Quin & filamenta, quibus saepe Conopæum, & multa præterea vestes lineæ circumsuuntur, Ferruginem dicunt infectores. Tunica etiam nuclei pinei lanugine quadam puluerulenta, ferruginea est. Erat is quoque lugentium color. Itaque capitur nonnunquam & ipse profanesto, atque ea de causa Hyacinthi dicti fuerunt à Virgilio Ferruginei, quasi lugubres, quia puerum, ut est in fabulis, casu interfectum.

Etum Apollo diu luxit, atq; in eius fo-
 lijs velut epitaphium, in sui doloris per-
 petuum monumentum, inscripsit, non quia
 verè floris color sit ferrugineus: est enim
 is, in quem mutatum ferunt adolescentu-
 lum, purpureus. De Hyacintho in litera-
 rum flosculum transformato fecimus hoc:
 Nil opus elogio, redimire aut flore sepul-
 chrum,

Ipse sibi flos est, elogiumq; puer.

Eodem modo cælum vocatur Fer-
 rugineum, hoc est, nubilum & triste, atq;
 apud eundem Virgilium, Sol caput suum
 nitidum in morte Caesaris texit ferrugine,
 quasi colorem se induit lugenti aptum, ut
 tanti viri cædem Sol ipse lamentari vide-
 retur. Nec alia ratione Charontis nauicu-
 lam dixit ferrugineam, quàm quoniam
 ea una, loco Sandapila, mortuos omnes
 vespillo indefessus transuectat.

Cælum fer-
 rugineum.

RUFVS CAP. VII.

Non eundem esse Rufum atq; Rubrum
 Nex hoc intelligi potest, quòd rectè di-
 citur Sanguis ruber, rufus non rectè, Rur-

sus barbam, & capillam Aenobarbi Rubrum veteres non dixerunt, sed modò Rufum, Rutilum modò, qui idem est. Quin & canes immolabant Romani Sacerdotes, nunquam Rubras vocatas, sed quas nunc Rufas, nunc Rutilas appellabant, ad placandum Caniculæ Sidus, frugibus inimicum. Ex quo manifestum est, Rufum, Rutilumq; eundem esse, id quod ex antiquis etiam aliqui docent. E canis igitur colore satis noto, atq; è multorum barba, & capillo, cuiusmodi sit color Rufus, apparet.

Hunc Rustici in armentis Robum Giluumq; olim dixerunt, atq; etiam Helnum: ut vini genus est quoddam inter Rufum, Albumq;, nulli non cognitum: quod quoniam Cerasi colorem refert duracini, Cerasolum aliqui dicunt Italiae populi. Sed & Burrham ydem appellabant vitulam, quæ rostro esset rufo. At homo Burrhus est, qui pransus, cibo & potione rubet, hunc aliqui etiam Rubidum vocant. Inuenitur & Rubeus, et si aliqui non indocti vocem non esse Latinam monuerint. Cum tamen apud autores non malos ex uuis nigris fieri
vinum

vinum forte legatur, è rubeis autem
 suaue. Nec non bos Rubens probetur. Ver-
 bum est omninò rusticum, nec prorsus is-
 dem color est, qui & Ruber, sed ad eum
 proximè accedit. Quid quod Russus et-
 iam legitur? negat quidam è vetustis
 Grammaticis dici posse, Russum iubet,
 ex quo pannus est Russatus. Vtrunq, certè
 Latinum est, sed Aratoris magis, quam O-
 ratoris. Habent enim & sua verba, qui
 ruri viuunt, urbanis nonnullis inaudita.
 Russeum equum dicunt illi, qui non planè
 Russus est, sed aliquanto minus ruboris ha-
 bens idem ferè videtur. Hic autem quo-
 niam quasi cruentato similis est, hodie sa-
 ginatus vulgo nominatur, quamuis huius
 nominis nonnunquam equi albescant.

RUBER CAP. VIII.

Rubrum maximè indicat animanti-
 um sanguis, & quo lana inficitur, Coc-
 cus, granum id à nostris vocatur, unde ve-
 stis est Coccina, nulli ignota. Ostentat ta-
 men hunc colorem præ ceteris rebus liquor
 purpure, cuius adeò gratus est color, ut si
 quid paululum habeat ruboris, modò vi-

si

su sit illud non iniucundum, Purpureum
 sæpè dicatur, ut sunt violæ, & varia flo-
 rum genera: quin & candidus, is enim
 quoq; oculos remoratur, à Poetis vocatur
 nonnunquam purpureus. Nam & Olores
 purpureos dixit Horatius, et niuem ipsam
 purpuream Albinouanus. Inuenitur &
 Blatteus positus pro purpureo. Non prete-
 reundus est color viteis frondibus arefa-
 ctis similimus, & idcirco Xerampelinus
 Græcè dictus. Usurpant hanc vocem Lati-
 ni, certum enim vitis genus adulto iam
 autumnno pampinis rubet velut cruentatis,
 unde nomen colori inditum est. Rosa ab o-
 mnibus nunc dicitur sicca. Atrabapticas
 vestes, eo colore infectas, quoniam in eo
 Purpura nigresceret, aliqui appellaue-
 runt. De ea re fabellam excogitatam his
 versiculis fui complexus:

Cederet immerita vitis dum crura, cecidit
 Ipse sua, & dira cæde Lycurgus obit.
 Unde prius viridis rubet hostis sparsa cruore
 Mleso vitis stipite, & vlt a nefas.

ROSEVS CAP. IX.

Iucandissimus omnium est color Roseus.
 atq;

atq; humano corpori, si id formosum est, quam similimus. Itaq; os, cervicem, papillas, digitos roseos Poeta dicunt, id est, candidos, rubore sanguinis penitus diffuso cum venustate, isq; color propriè est, quem communis sermo incarnatum vocat. Refert enim maximè omnium pueri nitorem ac ^{Incarnatus,} virginis rosa, non Milesiam intelligo: quæ nimis purpurea addere quodammodo videtur, nec rursus albam: sed quæ utrinq; decorem accepit, & quia corpus hominis imitatur, quod lingua vernacula carnem appellat, eadem id genus Rosarum incarnatum nominavit. Cicero colorem hunc suavem dixit.

PVNICEVS CAP. X.

A Phenicib. color Phenicus, Puniceus quoq; dictus, flagrat velut viola flammæ, atq; ita à multis olim purpura vocata fuit violacea, hodie penè nomen servat: nam Paonacius, quasi puniceus dicitur, et si aliqui vocem hanc vernaculam à Pavonis colore factam volunt. Phenicum verò alium ab hoc Palma, quæ Phœnix græcè est, se nominavit. Color hic in equo, ut ^{Phenicus color in equo.}

B 4 iam

iam diximus, maximè laudatur, qui modò Spadiceus, Baius modò, Badius etiam & Balus, varijs nominibus vocatus est. Termites enim palmarum cum fructu Spadices, & Baia Graeci dicunt: unde equus ab equi sonibus appellatur Baius.

FULVVS CAP. XI.

Ex omnib. maximè lucet fulvus, quem multa tactant, Orichalcum imprimis, aurum, ipsaq; etiam stella:

Quas non extinguunt venti, non nymbus aquosa
Nube cadens, celsa semper se d luce coruscant.

Quare Tibullus propriè sidera fulva appellavit. Est & aureolæ species arena, quam fulvum dixit Virgilius, & genus quoddam Aquilæ ab Aristotele maximè celebratum, colore etiam fulvo. Qui si obtusius quodammodo est, atq; obscuratus, vocatur Rauius. Iamq; sic Horatius lupam appellavit, cuius colorem noto magis verbo pleriq; omnes fulvum dixerunt. Tradunt aliqui, Rauios oculos, quos in cane & ariete laudat M. Varro, inter cæsios esse & flavos. Ornat sepè color hic Flavius Virginum ac puerorum capita, atq; in maturis frugib.
sem.

semper elucet, nec non pro pulcro frequen-
ter positum videmus. At Luteum nihil a-
què ostentat, ac flos Calthæ & Genistæ, o-
niq; etiam vitellus. Croceo est hic perquam
similis, sed lucidior aliquanto, ab antiquis
flammeus quoq; dictus, quoniã eo Flaminis
uxor Flaminiã utebatur. Potest hoc loco
pallidus poni, ac Luridus, mortui color est
hic horribilis, ipsiusq; mortis, ut Poeta di-
cunt, & Plutonis. Ille nonnunquam vel
gratus in homine, atq; amabilis.

VIRIDIS CAP. XII.

Cuiusmodi sit color viridis, suppedinat
exemplum herbarum multitudo, qua-
rum tanta est varietas, ut cum earum vis
sit infinita, nulla tamen aquè, atq; ex ijs a-
liqua, prorsus vireat, sed omnes inter se dis-
colores videantur, id quod in reliquis o-
mnibus coloribus apparet. Quare si mi-
nus est hic albus, aut niger, quam ille, non
idcirco albi nomen amittit, aut nigri. Ex
avis aut insignis est hoc colore Psittacus
avis, inde à quibusdam viridis appella-
ta, et qua nihil lætius est, Smaragdus.

B 5

Maxi

Scarabeorū
genus extre-
mè viride,

Maximè quoq; lucet viriditas in genere
quodam Scarabei, cuius ipse meminit A-
ristoteles. Is quoniam dorsum habet nota
quadam aureola sic litum atq; illustratum,
ut Luna speciem exigua sustinere videa-
tur, non inuenustè à nobis Cosentinis equus
Luna nuncupatur, fecimus hoc iam pri-
dem de Scarabeis iocosum Epigramma:

Paruula Sisyphio gens condemnata labori,
Quas Figula ipsa facit fertq; refertq; pilas.
Pars nigra, ut Aethiopum manus usta caloribus
Regia pars viridi picta colore nitet. (horret,
Parua micat cuius dorso nota, magna minutis
Si conferre licet, Luna pusilla velut.
Dixit equum Lunæ hinc cognomine Brutia tellus,
Quod si bellator sic nituisset Equus,
Illo capta foret non vna semiramis, essent
Centauri & plures, quam genus est hominum.

Egregius est inter colores, qui vi-
rent, Prassinus multorum carminibus col-
laudatus, nunc viride porrum ab Infecto-
ribus vocatur.

EPILOGVS CAP. XIII.

Libet Epilogum addere, varietatem
pro

propriè de coloribus dici, ex quo vestis va-
 ria, discolor est, diuersisq; coloribus con-
 suta. Diuisam nunc omnes vocant, & e-
 quus varius, non totus vel candidus vel
 niger, sed his alijsue coloribus distinctus:
 sic & cælum varium, cuius partes serena
 interlucent, partes nubila tristantur. Atq;
 alium sæpè pro alio, si inter eas affinitas
 est, colorem usurpant Poetae, ut lumen Mi-
 neruae Flauum, dixit Virgilius pro Glau-
 co, quo venustatem quoq; esse in oculis Deæ
 ostenderet, quemadmodum amictum Ty-
 beris, cuius aquam alibi flauam appella-
 uit, Glaucum idem esse cecinit: est enim
 inter hos colores similitudo et quasi vicini-
 tas. Sic, ut iã dictum est, Albus pro pallido,
 ac cæruleus pro subuiridi poeticè ponitur.
 proq; etiam subnigro, multiq; præterea in-
 uicem cedunt. Ex omnibus verò maxi-
 mè contrarij sunt Albus & Niger: quare
 nihil æquè apparet, atq; in alba papyro a-
 tramentum. Vtebantur veteres, quod
 nunc etiam seruatur, cum librorum titulos
 notarent, colore puniceo in honorem me-
 moriamq; Phœnicum, quos literarum tra-
 dunt

Color vari-
us.

**Incerti
colores**

dunt fuisse inuentores. Sunt etiam e coloribus aliqui incerti, qui inuentium oculos fallunt, ut est cæli nitor, quod cū tenebrosam quidam aut uident, illustratum radijs solaribus cyaneum videtur, ut Iris, ut quas suspicimus nubes nonnunquam ignoscere, ut mare ipsum, quod præter cæruleum, modò Atrox horret, modò virescit, interdum etiam flauum raurumq; se ostendit, aut specie quadam purpurascit violacea. Non idem quoq; decor in collo cernitur Columbae & Pauonis, unde aues sæpè dicuntur versicolores, quale est serici genus satis notum, quod è diuersis partib. spectanti non eundem offert coloris leporem. Discolor autem non modò pro vario sumitur, sed si quid eundem colorem velut radios quosdam diffundit, ut:

Discolor

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.

Decolor

At decoloris dicitur, ex cuius ore color defluxit, & exanguis relictus est, atq; idcirco pro deformi capitur & nigro, ut decolor Indus. Nam concolorem eiusdem esse coloris nemo ignorat. Adhæc colores bifariam diuiduntur, nam Austeri vocaban-

tur

tur reliqui omnes, præter Minium, Purpurissum, Cinnabarium, Armenium, Chrysolocollam, Indicum, quos floridos dixerunt. Sed hæc Pictores videant, quibus olim in usu tantum erat Melinus color, Candidus, Silaceus, qui inter Cæruleos nominatur, Sinopis genus rubrica, & atramentum. Quidam etiam Suanes dicti sunt, ut flauus, purpureus, candidus, imprimis Roseus, humanis autem oculis nihil venusti hominis colore suauius videtur. Inesse verò coloribus suauitatem, præterquam quod sensus ipsi iudicant, egregij Latinitatis autores ostendunt, M. Cicerro, & Virgilius Maro, quorum alter suauem hominis colorem dixit, ab altero Suanæ rubens Hyacinthus, vocatus est. Alij tristes sunt & lugubres, velut atrum esse diximus, Pullum, Ferrugineum, & cærulei speciem. Quin, ut videntur, sic sordidi etiam aliqui dicti sunt, ut, de quibus locuti sumus, Suasus & impluviatus, ijs enim rei, ut misericordiam apud iudices captarent, se deturpabant. Talem quoq, fuisse vestitum Charontis ostendit, cum inquit Virgilius:

Sordi-

Sordidus ex humeris modo pendeat amictus.

Iam verò colores partim nominati sunt à locis, ut Puniceus, Tyrius, idemq; Sarranus. Purpurei sunt hi, Indicum, Sinopis, Melinus, Hispanus, Bæticus, Mutinensis, de quibus dictum est. Colossinus à Colosso urbe in Troiade, ubi lana inficitur, florem referens Cyclamini, quod tum Rapum, tum terræ Malum, ac Tuber vocatur, à nobis Cosentinis Terrigena, fulget flos ille inter candorem & purpuram.

Partim à metallis nuncupati sunt, ut Plumbeus, Ferrugineus, Argenteus, Aureus. Sed à plantis nomen acceperunt complures, ut præter Phæniceum, id est, palmeum, ac Xerampelinum, Buxus est, qui pro pallido sumitur, pallet enim præ cæteris Buxea materia. Rose & præterea, Hyacinthinus, in quo purpura lucet Subnigra, Hysginus ab Hysge herba, Coccinus, & vtriq; similis Sandicinus. Violaceus, qui & Ianthinus, ex quo Tyrianthinus, è purpura, ut nomen indicat, factus & viola. Additur his croceus. Vnde Crocotula vestis genus, ut à caltha calthula, à Byssolini genere

nere tenuissimo byssina: erantq; hæ omnes Luteæ, sed Byssina penè ut aurum fulgebat. Fuit in usu vestis à Citri similitudine Citrofa dicta. Et quedam coloris candidi, Papauerata à Lucilio Satyrico, cum eam, ut probrum, Torquato obiecisset, nominata. Inuenitur quoq; Galbina vestis alba à Galbano. A malæ item flosculo color est Molochinus, ut à punicæ etiam flore Balaustinus. Virentis quoq; Porri folia nomen ex se, ut iam diximus, fecerunt Prasimum. Multi præterea ab animalibus vocati sunt, ut Ceruinus, Murinus. Atq; hæ colores sunt in equo notissimi. Mustellinus, de quo Terentius, Ictericus, qui Regio morbo laborat, à colore Galguli, quam Græci a uem Icteron dicunt. Luteus est hic admodum, Cygneus idemq; latinè olorinus, id est, candidus, ut contra Coracinus, niger. Asscribuntur & his Ostrinus, Conchyliatus, Muriceus. Purpureus ab Hercule, ut fabulantur, primum inuentus. Feci paucos de ea re Choriambos, quos visum est hic ponere:

Errat

Errat, dum bibulis Herculeus littoribus canis
 Nantem forte videt spumifero gurgite Purpuram,
 Aggressusq; ferox corripuit viscera mordicus.
 Mox pastus rediit commaculans gramina sanguine.
 Quem Tyro simul ac pulchra videt, namq; erat hac co
 Prolutum roseis candida sic ora coloribus, (mes.
 Alcidem alloquitur: Non alio munere te sequar,
 Quam si picta mihi palla rubens huic similis datur.
 Quod nunc per spolium terrificæ te rogo bellue,
 Inuictaq; manus roborâ, per tela sonantia,
 Non ignota aurbus nubila translata fugacibus.
 Da ferre hæc (poteris nam omnia) nec te tenuit
 Martis

Circumfusa palus, Hesperidum quò minus aurea
 Ferres munera. Sic Brachiolis fata reuinciens
 Robusta implicuit Nympha procax colla tenaciter.
 Parei victus amans blanditiis Amphitrionius,
 Nactusq; exanimem, quam expuerat iam Mare,
 purpuram,
 Infecit Tyrio primus ouem Maurice candidam.

A rebus deniq; diuersis nonnulli
 colores dicti sunt, ut igneus, flammeus.
 Sic orbis, nitorq; solis ab Attio & Catullo
 appellatus est. Quare color Solis, & quia
 ita apparet, & ex illorum autoritate flam-
 meus propriè potest vocari. A caelo, ut
 iam

iam principio dixi, Cæruleus est. Marinus, & Thalassinus à Mari: ab unda Cymatilis & Cymatus: idemq; est in ijs omnibus color. Quin etiam ab arcu pluviarum nuncio Arquatus est nominatus, Hyalinus, qui & Vitreus, Niueus, Marmoreus, Lacteus, Eburneus, quo dictus fuit cognomento propter candorem corporis Fabius quidam. Amethystinus præterea, ex quo Tyriamethystus in usu fuit olim. Sandaracinus, flammeus est is, quibus etiam impluvius, sanguineus, atq; Herbidus adduntur. Cereus item, Piceus, Cinereus, ut cardui genus esculenti à colore, Cinara vocatum. In hoc autem carduo esse etiam aliquod ipsius virtutis simulachrum, pauci, quos hic subieci, declarant versiculi:

Vi vallatus acutis
 Circum frontibus horret:
 Intus sed tamen abdit
 Dulcem carduus escam,
 Cælo missa sereno:
 Sic virtus puer aspris
 Ambit sentibus ipsam
 Incundam Ambrosiam Dijs.
 Aspumis quoq; & maculis, spumeus est

G

E

& maculosus; atq; ij equorum sunt etiam co-
 lores, ut à guttis guttatus, cuiusmodi præter
 equos, canes videntur nonnulli sagaces, quos
 à Muscarum similitudine Muscatos dicunt,
 velut equus scutulatus à scutulis: quem ab ex-
 ignorum pomorum specie Pomulatum vocant,
 equifones, & si orbes sunt latusculi, Rotatum.
 Videtur ad extremum natura amare Cœrule-
 um: eo enim, ut initio diximus, mare collustra-
 vit, ac cœlum ipsum, quod nunquam stellis
 fulgentibus ornasset, nisi eadem quoq; Fuluo
 maximè delectaretur. Sed quia vicissim vi-
 demus terrā, aut viriditate conuestiri, aut eo
 ornatu spoliatam, Pullam esse, aut etiam can-
 dore niueo contegi, viridem, pullum atq; al-
 bum nature gratum esse nemo potest dubita-
 re. Nigra insuper est nox, nigri sunt Indi, atq;
 Aethiopes. Gaudet igitur rerum mater colo-
 re nigro, quam à rubro nihil abhorrere,
 hominum ac ceterarum animan-
 tium sanguis facile de-
 clarat.



F I N I S.

33

Sequuntur Melchioris
TILESII Silesij poem-
matia.

RELIGIO
ILLVSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DO-
mino GEORGIO II. Duci in Silesia
Legnicensi & Bregensi &c. liberum verbi
diuini in oppido Glogouia praconium
acceptum ferens.



IC Dea te cupidis reducem complexa lacertis
Gestit in aduentu, Dux animose, tuo.
Soteremq; suum blanda te voce salutat,
Ausa verecundo taliter ore loqui:
Accipe quem deuota cliens tibi grator honorem,
Vindictys partum, Dux Generose, tuis.
Accipe, quod trado, dextra tibi supplice, fertum,
Vnde tibi fame gratus anhelat odor.
Talis odor, qualem non sparserit ulla rosarum,
Et cui tota suis cesserit Hybla thymis.
Accipe, namq; tuus, Princeps sacre sanguine Diuum,
Emeruit decus hoc, officiosus amor.

C 2

Sum

Sum pia Relligio, sacris quæ præsidet aris,
 Inq̄, tuo sedem gaudet habere sinu.
 Quæ prius hostili ceu compede victa tenebar,
 Sic iterum per te profero læta caput.
 Mortua quæ fueram, non ausa tot hiscere in annis.
 Auspicij adsum nunc rediuiua tuis.
 Ioua mihi vitam dedit, vt mortalibus agris
 Ad cœli, duce me, templa pateret iter:
 Abstulit hanc vafris Satanae conatibus error,
 Errorisq̄, soror cæca Superstitio.
 PAPA mihi vespillo fuit bustiq̄, minister,
 Ex animem qui me contumulauit humo.
 At pater omnipotens sortem miseratus iniquam
 Vt natæ doluit tristia fata suæ,
 Vrbs vbi Glogouia est, superas me rursus in auras,
 Vindice te, Princeps ô venerande, vocat.
 Hic vbi nunc aliquis facundæ munere vocis,
 Erudit intrepidè corda renata Deo.
 Securusq̄, docens superi mysteria regni,
 Ex alto memorat verba disertâ loco.
 Ergo quod his fuerim nuper modò reddita fanis,
 Esse Dei fateor munus & esse tuum.
 Quæ verò bonitas animi quisue ardor adegit,
 Esse tibi curæ vt res paterere meas?
 Fallor, an humano quia non è pectore manat.
 Ardor ab ætherijs sedibus ille venit.
 Nunc tibi cœlicolas inter, pro talibus ausis,
 Heroas aliquem nuncupo iure locum.

Sed

Sed mihi non satis est cælo te sede locasse,
 Si tibi non laudes terra vel ipsa sonet.
 Ergo tuum toto nomen iactabitur orbe,
 Famaq; pulsabit Solis vtrang; domum.
 Quæ Patrem patriæ te nominat, ipsa tuarum
 Terra memor laudum Slesica testis erit.
 Te Dominum delubra suum reparata vocabunt,
 Teq; assertorem reddit a templa suum.
 Artis grata ferens pro te soteria ciuis
 Glogouius plausu panget ouante melos.
 Teq; Senex cano multum venerabilis æuo,
 Te puer ingenua simplicitate canet.
 Te matrona grauis, te casti virgo pudoris.
 Monstrantes tenso pollice laude vehent.
 Hoc duce de Christi nauem ducentibus vno,
 Est laribus nostris reddita Relligio.
 Omnia vis dicam? non ætas vixerit ulla,
 Pro meritis grates non habitura tuis.
 Deniq; ne videar te tanto indigno patrono,
 Officijsq; tuis grata fuisse parum:
 Hoc tibi sacrorum mater veneranda, trophæum,
 Ante tuum statuo poplite flexa thronum:
 Error vbi quondam laxis regnavit habenis,
 Numen vbi nullum, nec fuit ulla Fides.
 Principis illustri pietate leuata Georgij,
 Relligio tutum repperit hospitium.
 Qui pius es, mecum Numen cæleste precatus,
 Dic, caput hoc seruent prospera fata dia,

ILLVSTRISSIMIS
PRINCIPIBUS IOANNI
GEORGIO Duci Silesiæ Legnicensi
& Bregensi: & ANNAE V Virtember-
gicæ & Teccia Comitissæ Mom-
pelgardensi, Nouis Sponsis
auspicatas nuptias
gratulatur.

*Brega Silesiorum XVI. Septemb.
Anno 1582.*



VAE modò Brega tuis successi sedibus hospes.
Cœlituum feror huc sede profecta Salus.
Hic vbi par vitæ socium complexa iugalis
Comprecor illustri prospera fata toro.
Maest: nouum, Princeps Dux inclyte Iane Georgi,
Et letare nouo, Dux animose, bono.
Nam tibi nec stirpis nec laudis nubit egenti
Virgo nihil stirpis, laudis egena nihil:
Sed quæ magnanimis Heroibus edita Princeps,
Ducit ab illustri posteritate genus.
Nec minus id fama celebratis laudibus equat,
Aucta bonis animi, corporis aucta bonis.

Tu quoq³ sorte tua letare, ter inclyta Princeps,
 Dux thalamo Sponsi Sponsa locanda Ducis,
 Quippe Ducis, quo se Regum de sanguine nato
 Heroum genitrix patria iactat humus.
 In quo nil possit, nisi tanto Principe dignum,
 Carpere, qui liuet Momus ab inuidia;
 Ipsa sed vnde queat virtutem discere virtus,
 Extensura sua laudis ad astra decus.
 Gestio blanda genis ter & amplius oscula vestra
 Figere, semidijs Sponsaq³ Sponse sati:
 Oscula dulcorem vestris miscentia tedis,
 Oscula quæ sapiunt Nectar & Ambrosiam.
 Vester honos agitur, vobis formosior aura
 Ridet, & optato sidere nata dies.
 En superum vobis quam nuncupat aula salutem,
 Nominis admonitu nuncia promo mei:
 Vobis ætherius prolis quos copulat ardor,
 Facundos ignes annuit alma Trias,
 Illustrem spondens sobolem serosq³ nepotes,
 Et nihil aduersi secla datura mali.
 Ergo Duci gratata tuo quid ouante moranti
 Brega salax plausus ingeminare sinu?
 Ergo faces gratata tuæ quid Brega Ducis
 Ad faciles cesses exilijsse choros?
 Huc age fer pateras auro rutilante coruscas,
 Vel quicquid Libycus gemmifer annis habet.
 Et tu virgineum socijs cum matribus agmen,
 Huc ser odorati germinis omne genus.



Multijugo textam nectens de flore corollam,
 Vnde nouis Sponsis gratus anhelet odor,
 Huc age fer patriis quicquid generatur in hortis,
 Lilia, myrtum, hederam, purpureasq; rosas.
 Curia, templa, forum, votis cantuq; fauete:
 Letitia careat nullus in vrbe locus.
 Tympana non fileant geniale sonantia murmur,
 Buccina nec complens atria mota sono.
 Te quoq; docta cohors studiis operata Mineruæ
 Non pigeat mecum tale ciere melos:
 Salue prælustris stirps Wirtembergica, salue,
 Fataq; sint æuo nulla nociua tuo.
 Bregia stirps salue, regum stirps sera, tuumq;
 Interitum mundi terminet interitus.
 Dixit. & in tennes euauit ocyor auras
 Hac iter ad superos diua remensa lares.

Symbolum Sponsi.

Fide, vide cui Vertrauen darff auff
 schawen.

E Vryalum Nisus fidum sibi legit amicum,
 Pollucem Castor, Thesea Pirithous.
 Ex multis Pylades vnum sibi legit Orestem,
 Vnum Patroclus legit & Aeaciden.
 At cur de multis legit sibi quilibet vnum?
 Est quia rara nimis fidus amicus auis,

Fallor

*Fallo an istorum, Princeps, exempla secuto
 ANNA, cui fidas, lecta Ducissa tibi est.
 Et recte: quis enim tibi amicus amicior illa?
 Coniugium gradus est summus amicitia.*

*Gott ist mein trost: Gottes wille
 der beste.*

Symbola

I L L V S T R I V M S I L E
 sia Ducum, **C A R O L I** Munsterbergen-
 sis, Olsnensis, Comitum Glacensis &c. &
E L I S A B E T H A E M A G D A L E N A E
 Lignicensis & Bregensis, Principum, celebra-
 brantium nuptias Bregæ Silesiorum,
 Anno 1585. Cal. Octob.



Optimus ut Deus est, sic est DIVINA VO-
LUNTAS
OPTIMA. Nam falli, fallere & ipsa
nequit.

*Fallitur at fallax hominum per sepe voluntas,
 Quæ bona dum captat, noxia sepe ciet.
 Scilicet humanas ita mentes fascinat error,
 Error at in mentem non cadit iste Dei.
 Quæ sint, quæ fuerint, & quæ ventura sequantur,
 Exacè novit singula scitq; Deus.*

G S

Nes

*Nec successus eum rebus frustratur agendis,
 Nam sapiens simul est & simul omnipotens.
 Ac veluti bonus est bona sic communia praestat
 Omnibus, ille sua pro bonitate, bonis.
 Deniq; siue beet bonus est, seu puniat, idem
 Est bonus, & nostrae prosperitatis amans.
 Infelix quicumq; tibi confidens nescit,
 Felix SOLAMEN cuius es, almae DEVS.
 Ergo tibi quid Sponse precer, tibi Sponsa quid optem,
 Illustri regum posteritate sati?
 Nempe quod amborum pia vobis symbola spondent,
 Quae vestri libuit pectoris esse notas.
 Ut se diuinae committat vestra voluntas,
 Spesq; sit in solum vestra reposta DEUM.
 Sic nec destituent huius vos commoda vitae,
 Nec caeli superas aula negabit opes.
 Tantum firma potest fiducia Numinis aequi,
 Tantum freta Deo spes animosa potest.
 Hinc adeo vobis, quos iungit diuina voluntas,
 Gratulor & vestro prospera quaeq; toro.
 Viuite longaeui, longosq; valete per annos,
 Et cultore polum, prole replete solum.
 Istic vt caelum vestra de stirpe nepotes,
 Hic terrae dominos iactet vt aula DUCES.*

Votum pro felici auspicio ineun-
 tis anni 82.

Dimidium toto plus esse, emblemate quodam
 Aser ei lusit Musa pelasga senis,

Cui

Cui, quod sit medium facti cepisse, Poeta
 Accinit, Ausoniam qui ferit arte lyram.
 At si dimidium toto plus esse putandum est,
 Dimidiumq; rei, qui bene cepit, habet.
 Credere principium toto plus esse quid obstat?
 Quisue amens neget hoc, quin simul illa neget?
 Si tamen id quisquam rationis acuminis cassus
 Iuerit inficias, experiundo prebet.
 Usus enim certus veri falsiq; magister
 Euentu faciet testificante fidem
 Quippe quod exemplis possit vel mille probari,
 Finem principis esse solere parem.
 Nam quibus auspicijs quaeuis suscepta geruntur,
 Hoc etiam claudi pleraq; sine liquet.
 Quid dubites ergo fore si primordia fausta
 Constiterint, faustum quod meditaris opus?
 Exactus sed enim duodenis mensibus annus
 Finit, & totidem mensibus alter init.
 Non equidem reduces quod equos Sol flectat in orbem
 Signifera repetens limina prima domus.
 (Nam neq; nunc metam vectus peruenit ad istam
 Helles excubitor quam malefidus habet)
 Nec quod cum bruma spacium decrescere noctis:
 Longior & paulo ceperit ire dies:
 Sed quia nunc repetunt natalis tempora lucis,
 Qua Deus est casta Virgine natus homo.
 Scilicet hinc anni circumuertentis origo
 Christicolis merito iure petenda fuit:

Ut no

Ut nouitas homines anni simul ipsa salutis
 Redderet admonitos de nouitate sua.
 Quatenus hunc igitur felici fidere labi,
 Optatumq; sibi vertere quisq; velit:
 Auspiciū bellè capiat, dubio procul omni
 Cuncta futura dehinc prosperiora ratio,
 Auspiciū sed quæ capiendi tale potestas,
 Omnia cum certis legibus astra meent
 Non opis est hominum cœli præscribere signis,
 Effectus cieant qualiter illa bonos.
 Hoc tantum præstare potest Deus arbiter æui,
 Corpora pro libitu qui regit ista suo.
 Ille potens annum flexis moderatur habenis,
 Et tenet imperio cœlica fata suo.
 Ille volubilibus mundi sator imperat astris,
 Ut capiant, nutu quas iubet ipse, vices.
 Non præsumunt illis genii mentesq; beatæ,
 Quales consinxit Scriptor Aristoteles.
 Vnicus est cœli motor, cui sidera parent
 Omnia, factoris prompta subire manum.
 Officijs quem prona suis elementa fatentur
 Artificem, cuius iussa verenda colunt.
 Quo densante, pluens aer sata leta fluore
 Irrigat, & tellus imbribus vda madet:
 Frugibus vnde cibant natis hominesq; ferasq;
 Et quas hæc poscit vita, ministrat opes.
 Nempe Deus celiq; potens terraq; monarcha
 Sic annum larga fertilitate beat.

MANAT

Manat ab hoc vno rerum quodcunq; bonarum est,
Rursus ab hoc vno prouenit omne malum.
Hoc inhibente retro conuertunt sidera cursum,
Nec solitas obeunt per loca suenta vias,
Et iam vel lateri propius vicina Boreo
Incrustant terras asperiore gelu.
Vel nimis ardentem mundi decliua sub axem
Res omnes aestu feruidiore coquunt.
Humoremue alio nimium sub climate fundunt,
Aut sicca plantis ariditate nocent.
Nimirum Deus his vindex vltorq; malorum
Prosequitur culpæ crimina suppliciis.
Nunc grauidas pluuiis, nunc spissa grandine fruges,
Nunc alio perdit terrea dona modo.
Vnde fames, pastu delusis tabida membris,
Letiferæq; venit mors metuenda luis.
Idem dira vagum succendit bella per orbem,
Et resides passim cogit in arma viros.
Non hæc aut casu fiunt, aut numine nullo,
Omnia sed fiunt sic moderante Deo.
Ille igitur precibus votoq; ardente rogandus,
Vt nouus hic lætis cursibus annus eat.
Nam quæcunq; polus quàm tristia forte minetur,
Attamen in melius verterit illa Deus.
Tantum pondus habet tantumq; precatio robur,
Vt decreta Dei frangere fata queat.
Non secus ac cantu terretq; fugatq; Leonem
Ales, qui vigili nunciat ore diem.

Fallimur, aut anno vultus obnupserit isto
 Officium terris lumen utrunq; negans.
 Luna quidem veniens aliquam telluris in vmbra,
 Nec capiens totum fratris ab ore iubar.
 At Sol obiecto Lunari corpore quadam
 Parte reformidans lumina nostra sui.
 Hec facies quamuis portendat caeli a cladem,
 Eclipses qualem significare solent:
 Non tamen in thalamos venient ea damna piorum,
 Nec poterunt fisis illa nocere prece.
 Laxatis igitur tibi fibris pectus anhelum
 Fundit nate recens virgine Christo preces.
 Per te tranquille pacis sint otia, nascens
 Qualia, cum terris excipereris erant.
 Te dominante, vibrans procul hinc Bellona flagellum,
 Et miles toto cedat ab orbe ferox.
 Quem iuvat admotis vrbes excindere flammis,
 Corpora vel campis dedere strata neci.
 Qui castum gaudet stupro temerare cubile,
 Virgineoq; scelus grande parare toro.
 Qui teneram sobolem maectando ante ora parentum
 Crudeles gestit commaculare manus.
 Hec rabies nostris procul a cervicibus absit,
 Secura patrios pace colente lares.
 Quam tu concessam diuino munere nobis
 Sub parma praestes, Dux generose, tua.
 Dux meritis pollens & auii a stirpis honore,
 Inter quae condas nubila summa caput.

DMM

Dux quo se ante alios omnes Brega sospite iactat,
 Quos fouet in gremio Slesica terra suo.
 Dux, à quo pietas pietatem discere, virtus
 Officium posset iuraq; sacra Themis.
 Hunc longos, pie Christe, ducem tueare per annos,
 Indultu præbens prospera cuncta tuo.
 Illustrisq; tori sociam, illustresq; nepotes,
 Illustremq; tua vi tueare domum.
 Hoc duce sancte tuum vindex Deus asserere verbum,
 Ne nos transuersos deuius error agat.
 nec nostras olidis suffitibus imbuat aras
 Tempia replens Arabum thure superstitionis
 nec flagret licito scelerum sentina vigore,
 Sed fas & iustum subdita turba colat.
 Hoc etiam serua celebrem sub Principe ludum,
 Artes & serua cum pietate bonas.
 Utq; puer Solymis bis sex egressus ab annis
 Mirando tumidos instruis ore Sophos:
 Sic animos tenera doceasq; regasq; iuuentæ,
 Fiat ut illa tibi discere grata capax.
 Ac fatalis equus Troiæ ceu mœnibus agmen
 Heroum lateris fudit hiante sinu:
 Sic sese hinc olim doctorum copia promat,
 Præsidium patriæ dulce futura suæ.
 Tandem vno ut verbo faustum precer omnibus annis,
 Omnibus eueniant omnia fausta, precor.

Nenia

Nenia.

IN FVNERATIONE
nobilis & generosæ Dominæ, BARBARÆ
KITLICIAE, anno ætatis suæ cli-
macterico minore tertio, nocte diem 26.
Aprilis præcedente, vnâ cum abortu pri-
migenio morte præmatura extinctæ, post-
quam vixisset marita annum & hebdoma-
das 18. Bregæ Silesiorum
Anno 83.



*Vid sibi turba frequens? queruli quid mur-
mura Vulgi?*

Quid uè noui luctus tristia signa volunt?

Cur adeò raucum clangunt è turribus æra?

Cur iterum pullis omnia plena notis?

Incluta commæret cui passis aula capillis?

Cur lugent vrbi iuncta Lycea scholæ?

Fallor, an exequiæ cantu lychnisq; parantur,

Ista cui fiant querere iusta libet.

Nemon ad hanc recitat carmen lacrymabile tumbam;

Extremum præstans funeris officium?

Sic ego: responsum est, recitant Lucina Dioneq;

Vtraq; suppetijs non benè functa suis.

Ille laborantem partu miserata malignè,

Hec medicæ nimium ferre morata manus.

Vtraq;

Vtraq; frustratam sic se genialibus ausis
 Ad socias queritar voce dolente Deas:
 Matre Opperstorsis, patrio sed Bessias ortu,
 Kutilicio tempus perbreue iuncta toro:
 Barbara, barbaries à qua procul absuit omnis,
 En matronarum flos citò quàm perijt.
 Non aliter quàm suaue comans rosa marjet ab Austro,
 Aut nimium radijs solis adusta cadit.
 Siccine foeminei flos tabuit ille pudoris?
 Siccine delictum nunc iacet illud humi?
 Flos, inquam, flos ille diu sperata colono
 Pignora parturiens iam propè viua suo.
 Omnib; hei cœlum quòd non est floribus æquum,
 Quòd non par fatum germina cuncta ferunt.
 Si qua fuit propter pietatem viuere digna,
 Hæc ob eam longum viuere digna fuit.
 Si qua suis longos meruit natalibus annos,
 Hæc auum meruit, diua Sibylla, tuum.
 At neq; progenies geminorum clara parentum,
 Nec pietas lethi tollere iura valent.
 Ergo tibi nentes fatalia stamina Parce
 Ante diem rapidas implicuere manus.
 Ergo cui tumulum dare te decuisset humando,
 Hæc nunc à mœsto coniuge busta capis.
 Ergo beare volens generosa prole maritum,
 Urbum parte tori nobiliore facis.
 Heu quantus dolor est, ingens quàm cura marito,
 Consortem iuualami deseruisse sui.

D

Mors

Mors optanda magis, ni mortem morte vetares
 Pensare, & fatis mutua fata Deus.
 Ab quoties coniunx vnam sibi poscit eandem,
 Communiq; tegi gaudet vterq; solo.
 Secreti sed enim negat hoc Deus arbiter aui,
 Nec sinit optantum, vota valere, necem.
 Viuendi Deus & moriendi tempora ponit
 Omnibus, arbitrio sola relicta suo.
 Uicet ergo Dei quia sic tulit aequa voluntas,
 Supremas functa solvimus inferias.
 Corpus humo natum, passa vir fata maritæ
 Condit humi, largis & rigat hanc lacrymis:
 Scilicet ijs lacrymis, quas cara coniugis imo
 Ipsi corde ciet non simulatus amor.
 Nos tumulum violis nardoq; sacrare recenti,
 Et iuxta carmen scribere tale iauet:
 Hic natum, genitrix utero quem viua gerebat,
 Vlnis exanimem gestat humata suis.
 Infelix mater, prolem quæ lumine cassam
 Dum parit, ipsa suo lumine cassa perit.
 Digna quidem vitæ plures quæ degeret annos,
 Vix superans æui bis duo lustra sui.
 Dignior at cælo, vitæ melioris & vsu,
 Quo se mens gestit carne soluta frui.
 Libera mens cæli gaude septemplex aula,
 Molliter exuuias sed lapis iste tegat.

Ani

Animula

NOBILIS ADOLESCEN-
tuli ADAMIÀ TZESCH Scholasticis
(suis quondam commilitonib.
lepidissimis) loquens.

Soles occidere & redire posse,
Nobis, cum semel occidit breuis lux,
Noctem perpetuam esse dormiendam.
Vates prodidit impius Catullus.

At vos deliciae meae, sed olim,
Non iam deliciae meae, sodales,
Ne quid corde fouete tam prophanum,
Edocti meliora voce Christi.

Nam quod Tzeschius, ille vester ardor,
Qui vos plus oculis suis amabat,
Nunc sum lumine cassus, & sopore
Funesto teneor, nihil periculi est.

Iam iam tempus erit, tubae sonantis
Cum me clangor ad aetheris ciebit
Oram, cumq; oculis grauem veternum
Christus discutiet resuscitator.

Is quondam Lazarum putri sepulcro
Fœtentem, lacrymans potente verba
Exciuit, superas ciebit idem
Me Christus lituo redux in oras;

Hoc sponder mihi tollorata solùm
In Christi meritum Fides, professus

Quam casta prece sum piq̄, vita,
Sed curta nimium breuij, vita.

Ergo tunc lepidos meos sodales,
Ergo tunc lepidos meos parentes
Lustrabo radiuius his ocellis,
Inter semideos agens beatus:

Quin & luce noua coruscus, inter
Coetus aligeros, fruor sereno
Conspectu Triadis, Deoq̄, laudes
Aeuum perpetuum ter am canendo.

I nunc improbe cum tuis phaleucis
Aeternam cubitans Poeta noctem,
Mors nobis sopor est quietus, adq̄,
Vitam transitus est beatior em.

At vos o lepidi mei sodales,
Deliro male creduli Poetae,
Vernans ossibus otium sepultis
Exoptate meis, leuemq̄, somnum.

Tum si quae superest cupido vestri,
Si quis restat amor boni sodalis,
Tumbam spargite floribus, madentem
Vdo fluminis imbre lacrumarum.

Tandem si mereor decus, quod vnum
Defunctis superest, fauere id ipsum
Ne quaeso dubitetis, & sepulchro
Hoc nostro super additote carmen:

Tzschirn

Treschius hac tumuli sub pondere dormit ADAMVS 0

Soluens quæ terra debuit atq; polo.

Ossa parens tellus, animam suscepit olympus,
dupremus cæli dum ruat axe dies.

Hic vbi spiriui corpus iungetur ademptum,
In cælo faciem viuet & ante DEI.

CLARISSIMO DOCTIS-
simoq; Dn. MICHAELI PAVLONIO,
illustris aulae Bregensis Confinario, &
Scholæ Professori, ad secundas nuptias
eunti cum ornatissima Virgine MARI-
A IOANNIS VENNERICIUS quondam
Vratislaviensis F. Bregæ XIII. No-
uemb. Anno 1582.

INers mereq; barbarum
Vulgus, secundas nuptias
Vt nil secundas arguit,
Multis, nouæ consortium
Nuptæ, maritis asserens
Cessisse non feliciter,
Vfus quod ipse comprobet.

Huic leui rumusculo
Quidam leui poemate
Applaudit haud vates grauis,
Eumq; bis, fracta rate,
Sulcare Pontum dicitat,
nouum toro qui iungitur.

Hæc ille vanus expuit
Contra secundas nuptias
Vulgi sequax tenebris,
Sed his atrocioribus
Adscripta gens Ecclesia
Incessit hunc conuitiis
DEI potentis ordinem.
Mireris Antanagoram
Nihil veteri scribere,
Genus tori quod alterum
Honestæ sit scortatio:
Cui celibatus proditor
Rasus caput succulliger

Accommodat suffragium.
 Refert enim, sed perperam,
 Priore si quis coniuge
 Vel morte vel diuortio
 Priuatus ambiat nouam,
 Eum reapse pellicis
 Gaudere consuetudine,
 Causamq; promit futilem
 Aiens: torum, qui sit typus
 Christi suaq; Ecclesie,
 Tantum duorum copulam,
 Non esse verò plurium,
 Ac si nouam solenniter
 Qui concupit, non vnus
 Foret maritus comparis.
 Huic improbae sophisticæ
 Ansam dedere primitus
 Cathari & cohors Monta-
 Prisco celebris seculo. (nica,
 Hi, quos Deus coniunxerit
 Semel, manere coniuges,
 Nec morte solui, iactitant.
 At te, Iacobe, candide
 Legum sacerdos, duplicis
 Iurisq; consultissime,
 Non hæc mouent inania
 Ludibriorum scommata,
 Muctu sed æqui numinis
 Ad vota transis altera,
 Non te rudis plebecula,
 Non Græcus autor carminis,
 Non scriptor Antanagoras,
 Non grex Patris sacerrimi
 Auceps luparum prouidus,
 Non secta damnatissima
 Arcet cubili postero.
 Ardes Deo sed auspice
 Satam bonis parentibus,
 Pii probatam moribus,
 Tibi virissam ducere:
 Bonos vir inter optime,
 Decus trium ter virginum,
 Illustris & schole decus.
 Hoc te Deus thalami sator
 Iubet, penuque diuite
 Conferta spondet commoda
 Olim quibus largissimè,
 Pium beavit Abraham,
 Post fata saræ, cum torum
 Senex adiret Ceturæ.
 Hoc & tenax amor iubet,
 Quò liberos suauissimos
 Lecti prioris pignora
 Medullitus complecteris,
 His te decebat orphanis
 Matris neueram querere,
 Qua

Qua flingeretur partibus.
 Hac en fauente numine
 Potitus es lectissima,
 Quae te tuosq; liberos
 Amando, quondam coniugi
 Tua nihil concesserit.
 Solet Deus sic mutuis
 Pensare damna commodis.
 Nunc te quis o felicior?
 Vxor cui piissima
 Parensq; fida liberum
 Nubit benigno sidere,
 Latura tecum fortiter,
 Vitae genus quas nubilis
 Toro parit molestias.
 Ergo, Iacobe, quam potes
 Letare sponsa nauiter
 Tua, vir ornatissime,
 Dignis grauiquam foemina
 Virtus magistra, moribus
 Ab vsq; matris vbere
 Perquam poluit sedulo.
 Et tu, Maria, nauiter
 Letare sponso coniuge
 Cunctis bonis amabili,
 Tibi sed optatissimo,
 Cuius nuceo sub pecclore
 Muse xhemisq; cum tribus

Sedem fecere Gratiis.
 O par amantum nobile
 (Virtute si quis nobilis)
 Quae vota vestris consecrem
 Tedis, quod omen augurer,
 Vultis rogatus eloquar?
 Bis octo dicam Syllabis,
 Quicquid cor intus ruminat:
 Vobis Deus ter maximus
 Secunda faxit omnia,
 Cum dico faxit omnia,
 Complector vno verbulo,
 Quicquid boni censu venit.
 Tedas enim sed prosperas
 Quod efficit, fari libet.
 Relicta res, ferax ager,
 Focus perennis, nulla lis,
 Quiet a mens, toga rarior,
 Vires salubres corporis,
 Pares amici, prouidus
 Candor, sine arte mensula,
 Victus facilis, non ebria
 Nox, sed soluta tristibus
 Curis, pudico cum toro,
 Somnus tenebras nesciens,
 Quod sis id esse iugiter,
 Nec malle quicquam deniq;
 Summum nec extimescere

D †

Ciera

Ciere nec voto diem. | Musis vacantem an comparat
 Hæc cum favore numinis Calere præstat lectulo?
 Coniuncta, Sponse, compre- An complicitis foco procul
 Tibi tuæq; concubæ. (cor Algere strato cælibe?
 Sed te quid orem scire vin? Hoc si negans illud probas
 Collum capistro qui tori Cum Baduello Claudio,
 Bis porrigis, dic obsecro, Quid sterto solus tam dius
 Ex te libet quod noscere.

Gamelion

NVPTIIS CL. ET LI-
 terata gentilitiaq; nobilitate præcellentis
 Viri, Dn. GEORGII BVESDORFFII
 Sangerhusani, l. V. Doctoris peritissimi:
 & ornatissimæ lectissimæq; Virginis AN-
 NAE, Cl. & doctrina præstante spectatis-
 simi viri, Dn. M. PETRI SICKII, filiaë,
 celebratis Bregæ Silesiorum, Anno 1583
 13. Augusti, beneuolæ gratulationis
 ergò nuncupatum.



Aterius nuper nympha dum captor amore,
 Dumq; nouo nostrum pectus ab igne
 calet: (reperta est,
 (Nã mihi, quid celem, cum res sit honesta
 dispensante deo qua mihi nupta placet)

INTEGRA

Interea cepit solitis amplexibus orba

Calliope lento nostra rigare gelu.

Et iam penè stupens veteremq; oblita vigorem,

Nescit in alternos cogere metra pedes.

Ergo libet tecum veniam mihi, ponsse, patisci,

Frigida quod tadis carmina scribo tuis.

Friget enim nunc Musa mihi, dum friget & ipsa,

Desuevi imparibus claudere verba modis.

At tu si qua tuo mihi gratia restat amanti,

Delicium cordis, Musa benigna, mei.

Si spreta vindex forma deforbuit ira,

Nec toto nostri pectore fugit amor.

Huc ades, & thalamum dum consero dulcis amici,

Suffice gratanti congrua vota fido.

Si mihi fas etenim mentis sit sensa fateri,

Officio nihil hoc gratius esse potest.

Quam quod fausta tibi sponso sit sponse precandum,

Digne quidem versu sed meliore cani.

Sum tibi tuq; mihi multis hinc notus ab annis,

Et mihi ius tecum est dulcis amicitiae:

Iamq; subit mentem transacti temporis aetas.

Lipsica cum quondam fouit utrunq; sebola.

Hic ego te primum cepi nouisse, meiq;

Conspectus istic copia facta tibi est.

O nos verè istic felicia secula nactos,

Cum faceret studijs otia grata deus.

Pars mihi laudis erit, Camerarii ad docta sedentes

Pulpita me voces aure bibisse graues,

Atq; sub hoc operæ precium meruisse magistro,
 Cui nunquam tulerit Teuton's ora parem.
 Quem dissertantem partes solerter in ambas,
 Attonitæ ter tres obstupère Deæ.
 Quo viuente simul Græciæ vixère Camæna,
 Quoq; simul visæ sunt moriente morâ.
 Altera materies laudis Bersmania vena est,
 Vena nihil præcis Varibus arte minor.
 Hunc quoties memini facundis carmina labris
 Fundere, diuinæ carmina mentis opus.
 Increpuisse lyre visus mihi plectræ Tibullus,
 Aut hoc si quisquam tersior esse potest.
 Te quoq; non horum piguit vexilla secutum,
 Militiæ nomen, Sponse, dedisse tuum.
 Nec tamen artis eras expertus morumq; piorum,
 Lipsia felici cum tibi tacta pede est.
 Nam neq; me fugit hoc, patrijs quod missus ab oris,
 Portensis fueris pars aliquando scholæ.
 Hic vbi flagranti Musas ardore colentem
 Te redamans molli fouit Apollo sinu:
 Tandem cum studijs suadet maturior ætas,
 Sortiri vitæ quod sequerere genus:
 Alcidiæ similis b. fida cunctantis eremo,
 Curarum dubio pectore voluis onus.
 Donec Paulonus solida vir doctus ab arte
 Ad studium Iuris dux tibi pandit iter,
 Auspicijs huius leges tibi cura sacratas,
 Et fæd atq; piæ discere summa fuit.

Hunc vitæ nactus finem metamq; laborum,
 Strenuus urfisti iramite ceptâ bono.
 Fertiliorq; seges spacijs tibi quaeritur amplis,
 Qua stant Leucoridos culta theatra scholæ.
 Hic vbi librati Ne sebecius arbiter æqui,
 Solerti leges dexteritate docet.
 Qui tantum reliquis hac præstat in arte peritis,
 Quantum Sol alijs lumine sideribus,
 A quo Relligio pietatem, Suada loquelam,
 Iura Themis, virtus discat & officium.
 Huius ab exemplo nosti præstare diremta
 Dissidia ambigui litigiosa fori.
 Huius ab exemplo libra pensare bilanci,
 Et ius cuiq; suum reddere, sponse, vales.
 O me consimili nequicquam sorte beatum,
 O mihi quod non sic aura secunda fuit.
 Scis equidem vt fuerim Phœbeia castra secutus,
 Auspicjsq; Coi Pergameiq; senis.
 Tunc texente mihi lauri de fronde corollam
 Latoo, & titulos pollicit ante novos.
 Officij sterilem nunc sprete natus ad vsum,
 Sustineo mentes ecumulare rudes.
 Nil faciens ni quod fecisse Tyrinthius Heros
 Dicitur, Augiæ dum mouet æde simum,
 Tu contra titulis flores & honoribus amplis,
 Vbere teq; beat sors opulenta penu.
 Ast ego tam locuples, tam diues, vt omnia mecum
 More Bianæo, quo iuuor ire, feram.

Nec tamen inuideo tibi, quin magis letor, & ista
 Te fortunatum prosperitate reor.
 Nam quae virtuti debentur premia, fatum
 n uno indulfit tempore tria tibi.
DOCTORIS titulum meritis non aere coemptum,
 donataq; micans nobilitate decus.
 Insuper uxorem, quae nunc tibi firmat ad aras
 Connubii coniunx fida futura, fidem.
 Maeste tuis tot, sponse, bonis, quae saenore largo
 Gratia fortunis conuulit equa tuis.
 Non his praetuleris Tagus aut Panchaia diues,
 Aut quas fert propior Sardibus amnis, opee.
 Has ego, cordato si quicquam credis amico,
 Sponse, mihi fratris semper amande loco,
 Has, inquam, toto cupidus tibi pectore grator,
 Caelitibus & iuxta commoda quaeq; precoro
 Surgat fama tuis meritis excita, decusq;
 Nominis a sera posteritate trahas.
 Et te nobilitas celebres quaesita per artes,
 Conspicuum patrio reddat in orbe virum.
 Sit quoq; coniugium felix, nec prolis egenum,
 Sit concors, syluas lite petente, torus.
 Cella merum, fruges campus, victumq; culina
 Suggestat. affatim cetera dante DEO.
 Hic non abstinoo quin te, clarissime SICCI,
 Compellem tali digne socer genero.
 Vel quia succussam vellit modo Cynthius aurem,
 Vel quia sic pietas non simulanda iubet.


Illa quidem rebus tecum gauisa secundis,
 Afflictis tecum casibus illa dolens,
 Si tibi non satis est propriis excellere donis,
 Ex genero fame laus tibi parta venit.
 Slesia te celebrat celebrat te Prussia testis,
 Viraq; doctrinae conscia, Petre, tuae.
 Annosam praestent, siccis, tibi fata senectam,
 (Quamuis sit doctis rara senecta viris)
 Et faueant generoq; tuo, natisq; tibiq;
 Commoda non lustris enumeranda tribus.
 Sed te virginei flos exemplumq; pudoris
 Suauiolam sponsi, sponsa venusta, tui.
 Qui satis extollam cum laude sublimior omni
 Extolli possis nullius ore satis?
 Obseruans pariterq; Dei pariterq; parentum,
 Obsequio hos, illum religione colens.
 Ingenuum formae specimen quae moribus ornas,
 Quos pia quos coniunx possit habere grauis,
 In qua virtutum lectus chorus omnis in vnum,
 Picta velut vario fiore corona nitet.
 Cui sua certatim tribuerunt munera Diuae,
 Bistonie complex nupta sororq; louis.
 Illa docens operis pensum dictare diurnum,
 Hac placuisse viro qua ratione queat.
 Vnum deerat adhuc, quo censerere beata,
 Coniugium, felix quod Cythereia dedit.
 Nimirum decuit docto Patre, nubere, natam,
 Praestanti multa cognitione viro.

QUA

Quale decus celsis alti sunt montibus orni,
 Alni littoribus fluminibus salices:
 Quale decus riuis platani, syluisque cupressi,
 Tale decus socio est, sponsa decora, tori.
 Nulla sed est vuis esset e gratia viti,
 Nec speciem, fructu qua caret arbor, habet:
 Sic nisi parturiat fœcundi pignora lecti,
 Suave nihil thalamus connubialis habet.
 Sis igitur fœcunda, tuo sis grata colono,
 Et multa fias prole beata parens.
 Ponderus inest votis, en faustum sternuit omen,
 Aureolum quatiens pronuba Diua caput.
 Ite leues elegi, venit Hesperus, ite, monebit
 Cetera pone sequens connubialis Hymen.

DOCTISSIMO VIRO
 Dn. M. PAVLO Iungio collegæ
 & Compatri Sponso.

Plato 6. de legibus


 Ἡ τῆς ἀειγενοῦς φύσεως ἀντέχει, τῶ παιδῶν κτλ λείποντι ἀεὶ τῶ θεῶ ὑπηρετᾶς ἀνθ' αὐτῶ παρὰ δ' ἰδόντα.


Quod de coniugio diuini pagina verbi
 Fatur, idem sapiens prociat ore Plato.
 Reddit enim causam duplicem, cur Cælibe vita
 Nubentium potior debeat esse thorus.

Scilicet

Scilicet vt mortale genus non desinat esse,
 Nec desit vnus qui colat vsq; Deum.
 Ergo pie facis & rectè, vel teste Platone,
 Sponse, sacrum tandem connubiale parans,
 Despiciat thalamum, qui se debere fatetur
 Naturæ pariter nil pariterq; Deo.
 Sit curæ tibi cultores liquisse Tonanti,
 Quem laudando etiam post tua fata canant.
 Coniugij sed enim preses, seruator & auspex
 Coniugio faciat prospera quæq; tuo.
 Principium præstet faustum, finem mediūq;
 totius & vitæ tempora cuncta beet.

Cancer

DONATVS NVPTIIS
 reuerendi Dn. GREGORII VVernerii,
 Compatri dilecti, Protodiaconi Ecclesiæ
 Bregensis, cum benè morata virgine IV-
 STINA Scholtzia iterum sponsi.

 Regorio pia me VVernero carmina votis
 Pangere synceris res pia sollicitat.
 Coniugium quia nunc IVSTA cum virgine,
 iungens

Fœdera bis (fatis vt placet) ingreditur.
 Auspiciū Deus his tedis da fertile, currat
 Stamine fac iniens hic thorus aureolo,
 Progeniem tibi det Gregori, mascula Numen
 Pignora det prolem det tibi foemineam, Dn.

DN. BALTHASARI
HEUSLERO, B Sponso &c. disci-
 pulo quondam suo.

Lutherus.

Frue aufstehn vnd jung freien/
 Darff niemand gerewen.

E quoq; si fas est **LUTHERO** credere, sponsa
 non poterit facti pœnuisse tui:
 Si modo quam certas celer indormire iugali,
 Tam properè studeas euigilare toro.

Damna manent pigros, pigros, Heuslere, maritos
 Multorum noxis cognita damna manent.

Excute tu potius lassatam lumina somnum,
 Et me pigrityam commonitore fuge.

Segnius vrget opus tum (res mala) signius orat,
 Cuius pigricies torpida membra tenet.

Mane toro surgens precibus valet aptior esse,
 Et quæ cura domus flagitat, officiis.

Ergo volens diues fieri fieriq; beatus,

Fac orans, tua quod meta requirit, opus.

Et te nec somnus, nec somno carior vxor

Immementem prodant muneris esse tui.

Deniq; spose tuae salue cum coniuge sponsa,

Et tu tuq; breui virq; virissa vale.

Memo

MEMORIAE OPTIMI
 Principis GEORGII, Ducis Lignicensis
 & Bregensis, anno ætatis 63. Christi 86.
 piè defuncti 8 Maij.



Vid verò, Princeps, optem tibi, Diue Georgi,
 Pro merito nunquam commemorande satis?
 Sape rogata mihi, sed respondere roganti
 Musa graui luctus mœsta dolore nequit.

Donec eras inter mortales integer, vno

Mens, caro, fama, simul iuncta fuere loco.

Hæc vbi discreuit triplici statione locorum

Mors somni soror, & parcere Parca negans,

Diuisum qua te mundi regione requiram?

Lumina quo vertam corporis ista mei?

Mens tua nixa fide cœlum subuecta migravit,

Terra sinu cepit corporis ossa suo.

Sola sed, extinctos quæ præstat viuere, fama

Nominis inuasit Solis vtranzq; domum.

Quid precer ergo tibi terna ditione recepto?

Vt precer hoc pietas officiosa iubet;

Nil aliud nisi quod votis iam nactus es equis,

Gratia quod precibus contulit alma tuis.

Sint anime, quo iam fruitur, sua gaudia cœlum,

Exuujs stratum molle ministret humus.

Gloria virtutum lato spargatur in orbe,

Et laudum veliret fama per ora virum.

¶

Præfatio

*P R A E F A T I O I N C O M P E N -
dium Bregense, ad Dn. MELCHIOREM
Cyrum, Ciuem & Bibliopolam Bregensem.*

DUm sublime volans malesidis nititur alis
Interitus opifex Icarus ille sui,
Labitur, & cera liquefacta Solis ab aestu,
Icarias fuso corpore plangit aquas.
Sic qui Grammaticae nullo fulcimine nixus
Sublimis s' ophiæ culmina summa petit,
Icaris gaudet sese committere pennis,
Aemulus Icariae sortis & exitij.
Fertur enim præceps olidae ruditatis in æquor,
Dum negat officium debile penna fugaxi.
Hic ubi pendentem pœnas pro talibus ausis
Horrida barbarici gurgitis vnda vorat.
Hoc modo, Cyre, volens teneræ dictare iuuentæ,
Sub prælum quinto hæc nunc elementa vocas.
Nempe quod annatis sine pennis nemo volare,
Nemo sine assumpto cortice nare queat.
Te testem voco, Cyre, tui non inscie lapsus:
Nossti etenim, verum, quod loquor, esse, bene.
Argo tibi multum debet studiosa iuuentus,
Exemplo discens cautior esse tuo.
Debet itemq; tibi tantum doctrina loquendi,
Quantam Triptolemo debuit ipsa Ceres.
Sicut enim fruges huius diuendit ille,
Sic tu Grammaticæ distrahis ære libros.

Dispa

*Disparatio veteris & nouæ Scho-
læ Strelensis.*

Hic vbi ludus erat minitansq; domuncula casum,
STRELA nouam largo condidit ære scholam.
Illa prior deformis erat, vix digna videri,
Hæc oculos grato pulcra nitore iuuat.
Illa casa similis, nec dum satis apta colono,
Inter at urbanas hæc caput arxq; domos.
Illa velut carcer spacijs erat arcta coactis,
Hæc aulæ speciem nobilioris habet.
Illic vidissēs nullo discrimine septos
Discentum (pecus vt claudit ouile) greges:
Hic vt apes cellis resident, operasq; dierum
Distinctis tractant agmina iuncta locis.
Illic fœtor erat cerebro grauis, vnde catarrhi,
Damna ferens capiti prouenit vnde dolor:
Hic fœtore carens halituq; salubrior aura
Fessa frequentantum membra labore rigat.
Illic materies limus, calx, scandula, tigni,
Asser, & ex cartæ facta fenestra plicis:
Hic solidus tectum later & constantia firmat,
Hic de splendenti facta fenestra vitro.
Hic super extructæ fundum sunt vndiq; cellæ,
Inde suam partem quisq; Synergus habet.
Cetera pars ædis trifido discrimine constat
(Si benè quæ vidi mens meminisse valet)

B 3

Infima

Infima Musæis cecidit diuisa duobus,
Vox ubi doctrinæ publica grande sonat.
Quæ medium tenet, & suam nam pars tertia tractum,
Collegis cameras ac habi. âcla locat.
Nilq; adeo desit, cur non Helicone relicto
Gaudeat hic hospes Phœbus habere locum.
Fixerit hic quondam diuis comitata n. uenis
Gratia Parnasso monte profecta larem.
Quin etiam (liceat saluo mihi verba pudore,
Qualia non versu sunt memoranda, loqui)
Crediderim Flacium, si viueret, atq; Pilatum
Hac nisi venis onus nolle leuare domo.
Tantum delectant loca quæ secreta vocantur,
Illam quidem turris conspicienda modo.
Deniq; nil isto potuistis condere ludo
Splendidius Strelam ciuica turba colens.
Hic igitur studijs puerilibus otia sunt,
Autori hic fiant plurima grata Deo.
Sunt etenim ludi quoddam fabrilis, Tonanti
In quo fama placens cuditur arte pia.

EPI TAPHIUM NOBI-
lissimæ matronæ ELISABETHÆ
Dannuizix, magnifici viri Dn. HENRI-
CI AZIRN in Priborn vxoris, piè defun-
ctæ 21. Sept. anno 1586. manè cum au-
rora inter quartam & quintam in
domo Priborn.

Henr

*Henricus Zirinns viduus
lugenr.*



Ebeo plura tibi, quondam charissima con-
iunx,

Quam possint vires exoluisse mee:

Si tamen officij tenuem non spernis hono-
rem,

Accipe pro meritis praemia parua tuis

Praemia quae pendo tibi sunt encomia laudum,

Quarum testis ero post tua fata memor.

A te nam potuit virtutem discere virtus,

Exemplum verae quae pietatis eras.

Tu matronarum nulli grauitate secunda,

Nobilium nulla tu probitate minor.

Consilij solers, opibus nec pigra parandis,

Castam domum seruans, casta cubile viri.

Nulla tibi proles, sed erant tot pectore dotes,

Quot quae mirari, non numerare queo.

Illas fama loquens hominum vulgabit in ore,

Conscia virtutis praecog, fama tuae.

His addo, viduum quod nunc consolor amorem,

(Fida tibi consors nuper Elisa mei.)

Vt tua vita fuit polluti criminis experta,

Sic vitae finis mors tua sancta fuit.

Hinc te nixa fides Christo, Christumque professa

Defunctam caeli nunc statione locat.

¶ 3

Salve

*Salve naſta polum mens, & vos condita terra
Suauiter afficiat corporis offa, ſopor.*

EPITAPHIUM OPTIMÆ

ſpei pueri IOACHIMI, DN. M. LAURENTII
Besleri Ludimoderatoris quondam Bregentis, Fi-
lij, anno ætatis 9, tertio autem à ſalutari obitu o-
ptimi parentis ardentia febrili extincti 22. Iunij,
Anno Chriſti 1586.



*Hoc febre conſumptum corpus ſub ceſpite con-
ſpecto vite tempora leta noue. (dens
Aeternam mihi namq; fides te nixa ſalutem
Ex meritis ſpondet Chriſte prehense tuis.
Exul eram viuens patrias colo mortuus oras,
Cœleſtis ſalue patria, terra vale.*

NVPTIIS NOBILISSIMORVM
coniugum DN. MICHAELIS Enderi è Sercha &
Iuco Leopoldi, Senatoris Gorlicenſis, viri erudicio-
ne, virtute & autoritate eximia præſtantis, iterum
Sponſi: Et pudiciſſimæ moratiſſimæq; virginis
BLANDINAE, Magnifici doctrina, virtute, pru-
dentia & facundia clariffimi viri DN. Ioannis Rei-
manni I. V. D. Reuerendiſſi & illuſtriſſi. PP. Ioachi-
mi Fr. Præpoſiti Magdeburgenſis, & Ioannis
Georgij FF. germanorum, Ducum Lignicenſi-
um & Bregentium, Cancellarij filia, Sponſæ le-
tiſſimæ; celebratiſ 26. Ianuarij Anno
1588 Gorlicij, No 10

Non Studium, non me fecit natura Poetam,
 Nec mereor vates inter habere locum.
 Vix finit ingenij ruditas me scribere versum,
 Qualem forte scholæ de grege tyro solet.

Nec tamen abstineo, quin nunc quoq; simplice filo
 Carmen iners neclam, mentis inertis opus,

Tum benefactorum quia mens id conscia suadet,
 Pro meritis gratas exhibitura vices.

Tum quia res agitur, quæ tantum vota requirit,
 Et fusas casti pectoris amne preces.

Mempe quod Endero nubit Reimanna, iugalem
 Amborum Ioua consociante torum.

His ego coniugibus dum gratulor, annue prosper,
 Quodq; precor, firma numine Christe tuo.

Nulla venit nisi quam dederis tu pronube, nulla
 Coniugio cedit te nisi dante salus.

Tu quoq; sis æquus pingui, Reimanne, Mineruæ,
 Ornantiq; sacrum hoc connubiale faus.

Ponderat ad lancem mentes non verba precantum,
 Gaudet & ingenua simplicitate Deus.

Sic te non moueant incultæ verba loquelæ,
 Non moueat vilis squalida forma stilia.

Sensa tibi potius cordis deuota probentur,
 Et cupidi placeat pectoris officium.

Sat scio non deerunt, & ij melioribus astris
 Nati, per laudes quos iuuet ire tuas.

His quod me gratitans velut anser oloribus addam,
 Da veniam, causas res habet ista graues.

Tu mihi præfectus rudibus præceptor ab annis
 Inxisti studijs os animumq; pijs.
 Aeraq; militia sub te Phœbea mereri,
 Et doctæ tepe Palladis arma sequi.
 Te monitore puer rectum dinoscere prauo,
 Et vitæ didici cautus habere modum.
 Debeo prima tibi studij fundamenta, fructum
 Quantulus ille quidem est, debeo iure tibi.
 Sed cum nulla queam persolvere premia, saltem
 Officij gratus debitor huius ero.
 Nunc etiam memori specimen de pectore promens
 Fausta tuæ natæ sata tibiq; precor.
 Ut faciam, cogit præses veneranda sacrorum
 Religio, cogit non simulata fides.
 Et virtus generisq; tui generiq; meretur,
 Digna quidem versu, sed meliore, cani.
 En verò dum summa sequor fastigia laudum,
 Offert se primo stirpis origo loco.
 Hæc se tot seclis Leorina iactat in vrbe,
 Nominis ut fama certet habere parem.
 Hæc virtute nitet maiorum, hæc splendet auitis
 Dotibus, hæc claret posteritate domus.
 Hanc, Reimanne, tuus genitor præstantibus ausis
 Reddidit illustrem conspicuamq; magis:
 Publica consilij adiutans commoda rerum,
 Et bene de patria re studioq; merens.
 Tu verò natale solum patriosq; penates,
 Et genus ad cœlum laudibus vsq; vehis.

Vin' dicam quæ sint laudes? effabor easdem,
Sed blandimenti vt suspicione vacent.

Ingenio te festiuo natura beauit,

Diuinae tribuens munera mentis opes.

Iudicium doctrina tibi formauit & vsus,

Multijuga rerum cognitione sapis.

Excultæ decus impertis facundia lingua

Eloquij superans flumina Nestorij.

Cum re nomen habes, Rheni de nomine dictum,

Pectora quod Rheno limpidiora geris:

Vel quod ab ore tuo suauiter condita lepore

Verba fluant dulcis more fluentis aquæ.

Addo quod ex Legum studijs es adeptus honores,

Cesareumq; data nobilitate decus.

Quid memorem, quod ab hinc annos denosq; nouemq;

A te frugiferam Slesia cepit opem:

Iura ministrabas, patriæ cum Syndicus esses,

Tunc est consilij curia recta tuis.

Nam quid in ambiguis causis sit fasq; nefasq;

Ingenij prompta dexteritate vides.

Non facile obruerit te fraude tenebrio fallax,

Nec vafra structis ceperit arte dolis.

Iustitiæ seruans, & iniqui strenuus vltor,

Iurgia sic dirimis litigiosa fori,

Vt bona subsistat victrix te iudice causa,

Iudicioq; cadat non bona causa tuo.

Hinc cur Nissenam fueris accitus in aulam

Præfulis obtentu, causa reperta patet.

E S

Hinc

Hinc in proclui est, cur te veneretur ametq;
 Illustris fratrum cur colat aula Ducum.
 Principibus placuisse viris non vltima laus est,
 Sed potior tamen est laus placuisse Deo.
 Tu pariter Ducibusq; places pietate Deoq;
 Dans sua principibus, dans sua ritè Deo.
 Utq; fidem res ipsa facit me vera profari,
 Iudicio sic rem conueniente probas.
 Symbolon vsurpas, quo te prestare fateris
 Prima Deo, publicæ proxima deinde Rei.
 Tertia deuinctis studio virtutis Amicis:
 His sua qui tribuit, vir pius & bonus est.
 Deniq; virtuti cum non sua præmia desint,
 Sunt etiam quæ te præmia digna manent.
 Ecquid enim? proles an compensatio nulla est?
 An nihil est sobolem progenuisse piam?
 An decus est nullam, quod sua uia pignora præstant?
 Quando ea virtutem cernit amare Pater.
 Quando videt natos studijs incumbere honestis,
 Quando videt natos moribus esse bonis.
 Si iuuat exemplo rem discere, suppetit vnum,
 Exempli satis est vnica gnata tibi.
 Quanta tuo facit hæc quàm dulcia gaudia cordis
 Tot florens animi corporis atq; bonis.
 Fascinat aspectum perpulcræ gratia formæ,
 Qualis Apellæ Cypridis illa fuit.
 Virgineos mores nihil est quod polluat atrum,
 Lingua vacat vitijs, pectora labe carent.

Mentem habitat pietas, sedem delegit in ore
 Bellula blanditijs concomitata charis.
 Ipse pudor casto veniens ex pectore prodit
 Intus virtutum quod later omne genus.
 O fortunatum cui nupserit illa maritum,
 Tot dotes animo divitiasq; tenens.
 O te felicem nata, Reimanne, parentem,
 Quam prestans ambit conditione gener.
 Vir grauis antiqua clarus virtute fideq;
 Et veteri tecum iunctus amicitia.
 Inter honoratos Proceres pars vna Senatus
 Gorlicy, generis splendor, & urbis honos.
 Tot numero cause, tot rerum pondera cogunt
 Me gaudere tuis, fautor amande bonis.
 Que tibi profuse grator let ante Camœna
 Optans coniugibus fata secunda nouis.
 Vos ergo Charites, blandaq; Sionis alumna,
 Blandula blandiloquis metra sonate sonis.
 Blanda datur blando nuptum Blandina marito,
 Succedat blandè blandus vtriq; torus.
 Et tu Gnate Dei parilis sociator amoris
 Huc ades, & promptam, ceu potes, affer opem.
 Tu qui coniugium sanxisti, nubilis autor
 Ardoris, casto corda calore foue.
 Sit felix iniens thalamus, sint prolis abundans,
 Mutuus amborum pectore crescat amor.
 Sit viuax æuum, sint vitæ libera morbis
 & tempora sit laxibus cura molesta procul.

vscia

Nesciat erumnas caeca lud. bria sortis,
 affluat omnigena prosperitate torus.
 Quodq; caput voti est sic te, Reimanne, benigno
 Fors faulrix vultu, sic beei ipsa salus:
 Vt te certant em Pylia viuendo senecta
 Sæpè nepos blanda voce saluret auum,
 Tum saturum vitæ præsentis vt altera vita
 Perfunlat Diuam Nectare & Ambrosia,
 His me plura vetant c. nsultæ dicere vires,
 Coniugy laudes altera Musa canat.

In imaginem crucifixionis.

Siste pedem lector: scin' te quid imagine picta
 Admonitum paucis muta tabella velim?
 Talis erat, ligni moriens in stipite, Christus,
 Cum lueret, mundi pro nece, fata necis.
 Huius ad intuitum gratus reminiscere, quanto
 Ardeat humanum Christus amore genus.
 Hostis eras Christi, Christus tamen hostis amore
 Sustinuit (grates sint tibi Christe) mori.

*Votum Propheta Regii ex Psal.
 27. Vnum petii à Domino &c.*

Hoc precor, hoc vnum votis ardentibus opto,
 Omnibus hoc vnum præfero delicijs,

Hoc

Hoc, iactis etiam curis procul omnibus, vnum
 In votis nunquam desinet esse meis.
 Ut, dum sana mihi mens est in corpore sano,
 Perpetuus maneam ciuis in aede Dei:
 Lustrandog, sacri speciosa palatia templi
 Pascere fas oculos sit mihi corq, meum.
 Hic vbi rite Deum cupida pietate colendo
 Exoluam vitæ sula legenda meæ.

Perioche v. i. paradoxorum
 Ciceronianorum.

Sola bonum virtus, diues virtute beatus
 Et solum ciuis: liber & exilio.
 At virtute carens est exul seruus inopsq,
 Elige nunc, diues pauper an esse velis.
 Elige nunc exul malis an ciuis haberi,
 Elige nunc liber seruus an esse velis.
 Si libertatem sapiens exposcis opesq,
 Sic virtus studium semper honesta tuum.
 Quem penes est virtus, bona possidet omnia. Solam
 Virtutem, censet Stoica turba bonum.

PROPEMPTICON SCRIPTVM
 M. MELCHIORIGerlachio Boleslaurio,
 & discipulo eius Casparo à Rechen-
 berg.

Quod

Cal.

Hoc



Quod petis hinc abiens, artis non indige Vates,
 En tibi carmen iners præbet amica manus.
 Accipe, quos offert animo gratante salutem
 Versiculos precibus victa Camæna tuis.
 Laude merebaris tolli super astra, quod aiunt,
 Ingenium superat sed labor iste meum.
 Triplicis excellis facundo munere lingue,
 Et sacra rerum cognitione vales.
 Id laudent alij; mihi fas sit fausta precari
 Cessuroq; tibi discipuloq; tuo.
 Vos Deus incolumes præstet, studijsq; favorem
 Aspiret vestris pro bonitate sua.
 Ut Rechenbergum ciuiles gnauiter artes
 Edoctum quondam cernat vterq; parens:
 Gerlachium verò memorantem concio sacra
 Audiat ex sacro verba sacro loco.

ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ ΕΥΕΡΕΝΔΟ
 viduo, Dn. M. LAURENTIO Starkio,
 Ecclesiastæ & Superattendenti Bregen-
 si, iterum sponso, gamelij loco nuncupata.


Quale tibi tribuam Starki valedissime robur,
 Exponam tenui carmine pace tua.
 Est aliquid commune tibi cum Simsone, cuius
 Res clarè gestas Biblia sacra canunt.
 Simson enim Christi typus est, Christumq; docentis,
 Exemploq; refert munus vtrumq; suo.

Quid

Quid verò moneat typus is, si scire laboras,
 Expediam versu. Sponse nouelle, breui.
 Simsonis & Christi natalem nunciat ortum
 Angelus aeterni missus ab arce Dei.
 Ille suae genti vindex promittitur: Orbis
 Hic fore totius dicitur vna salus.
 Ille manu fauces discerpit & ora Leonis:
 Conterit hic stygiae colla caputq; feræ.
 Ledere ne possit, rabidi quos more Leonis
 Circuit & rictu captat hiante satan.
 Ille Gigas vinculis stringi telisq; nequiuit:
 Demonis hunc contra nil valere doli.
 Ille simul portas vrbis cum vectibus aufert:
 Huius vi Ditis carcer & ansa labat.
 Ille quod hospitibus soluendum enigma vocatis
 Obtulerat, sociæ credidit antè tori.
 Hic Euangelium, quod Sponsa, Ecclesiâ nosset,
 Protulit arcana sede sinuq; patris.
 Ille Philistini laris euertendo columnas
 Commoriens morti millia terna dedit:
 Non secus hic mortem moriendo vicit, & hostes
 Immersit fatis exitioq; suo.
 En qua concernat præsens historia Christum,
 Accipe nunc Vatem qua notet illa sacrum.
 Ille velut nodis Heros & fasce ligatur,
 sic ligat humanum Lex patris alma genus.
 Vincula nemo sacer nisi spiritus illa resoluit,
 Quo beat afflato credula corda λόγος.

Et velut ex asini maxilla profluus humor
 Simfoream sistit, cor reficitq₃, sitim:
 Sic Euangelium grato perfusa liquore
 Erigit in vitam pectora fisa Deo.
 Praestat idem verbi sincerus quisq₃ minister,
 soluentis partes dumq₃ ligantis obit.
 Soluit enim noxis veniam te Christe petentes,
 Corda Euangelio cam rediuvua facit.
 Vincit item prauos, legisq₃ ligamine nectit,
 Conscia quos scelerum vita nefasq₃ iuuat.
 Maeste animo, Starki, tali qui robore polles,
 Simsonis & sacri sungenis officio.
 Sufficiat porro vires tibi numinis Aura,
 Ut munus studeas fortis obire tuum.
 Sisq₃ euangelij praeo legisq₃ sacerdos
 Integer, & fortis profiteare Deum.
 Hoc si praestabis, iam spondeo commoda certa,
 Quae dederint thalamo, caelica fata, tuo.

M. Melchior
 Tilesius,



Fragmentary text visible on the left edge of the page, including characters like 'p', 'o', '2', 'C', 'M', 'ia'.





Fb 402

X 2202861

66.

ms





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



Antonij Tilesij
COSENTINI DE
Coloribus libellus,

cum

Melchioris Tilesij
Silesij Versificio.



UITEBERGAE
Excudebat *Matthaus Welack.*

Anno M.D.LXXXV III.